obarmare volueris; sive rerum amorem coelestium
menti implantare; vel interiori oculo divinis
illustrato radijs Deum contemplari, ad haec omnia hyemem
maxime conducit, fallaces aestatis blanditias, et blandas
fallacias, vanitates, ac molestias innumeras et incom-
moda removet; Deum per sacrum tempus Adventus sagacis
amoris industria, certissimisque piorum desideriorum iaculis
petendum; in Nativitate de sublimi coelorum throno
descendentem, positumque in stabulo amandum, ac contemplan-
dum in Epiphania; in Jordane, in templo in cana ita
divina adorandum, in ieiunio quadragesimali per dura
per aspera nobis imitandum proponit, denique ad tam
multa, magna, tamque divina, hoc tempus nos adhor-
tatur, et vel maxime conducit, adiuvatque, ut non
male opinari quis posset, aestatem ad perituras tantum
corporis utilitates, Hyemem ad divina, et immortalia
animi, mentisque bona a Deo ter Optimo Maximo
institutam, hisque omnibus, quae ad eosdem fines assequen-
dos homini conducerent, copiosissime instructam,
exornatamque fuisse. Quae cum ita sint, quis non clare
videat, quibus Hyems praeconijs digna sit? itaque quorum
auxilio ac dignissimo testimonio confisus, eam laudandam
suscepi contentus, hoc solum obsecro vos Auditores Reli-
giosissimi, ut eandem contra illos, quibus hactenus dura
ac mortua res quaedam videbatur, tum propter vicissitu-
dinem temporum summe delectabilem, ac veram etiam,